

modum supradictum. ¶ Si vero debitor de bonis suis non haberet que sufficerent ad integram solutionem debiti et expensarum creditori, tunc capiatur²⁾ debitor per dominium et ponatur in basta comunis, de qua exire non possit nisi primo solutio facta fuerit integra creditori. ¶ Salvo quod, si per creditorem terminus aliquis debitori elongatus esset, (et) omnia bona posita ad vendendum in manibus extimatorum comunis vendi debeant et deliverari per dictos extimatores secundum formam presentis statuti; quam extimariam volumus fieri diebus dominicis tantum et durare usque ad occasum solis. ¶ Et si pars alicuius possessionis fuerit posita ad extimariam, quod dicti extimatores debeant ipsam partem determinare cum terminis de lapidibus taliter quod appareant, sub pena centum sold. pro quolibet extimatore. ¶ Et nulla persona emere possit aliqua bona ad dictam extimariam, que esset detenta in palacio vel carceribus comunis. ¶ Si vero aliqua persona posuerit bona aliena ad extimariam pro suis debitis sine consensu illius cuius fuerint, conponat nomine pene centum sold. par. in comuni, de qua inpositione infra octo dies per dominium cognoscatur.

Cap. XLVII. De e mentibus bona ad extimariam et de solutione fienda.

Providimus quod, si qua persona emerit ad extimariam comunis aliquam possessionem vel aliam rem, quod presentare debeat et teneatur denarios emptionis in manibus extimatorum comunis infra octo dies facta deliveratione ipsorum bonorum, sub pena decem // libr. par. comuni conponenda, qua pena soluta vel non, dominium Tergesti teneatur constringere¹⁾ personam e mentem ad standum in palacio comunis, si querela pervenerit ad dominium per creditorem vel eius procuratorem, de quo exire non possit donec fiat integra solutio creditori. ¶ Et quod elapsis dictis octo diebus solvere teneatur pro quolibet mense similiter decem libr. par.

¹⁾ Aggiunta marginale.

²⁾ Cfr. la nota della pagina precedente.